



U. q. 17, 1







14  
DE CONFRONTATIONE  
DIFFICILI ET INEXPLORATO  
JUDICIORUM ARTICULO,

DISPUTATIO PRIMA,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO

SVB PRÆSIDIO

VIRI

*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi  
& Consultissimi*


DN. JOH. OTTONIS  
TABORIS, JCTI

SERENISSIMI PRINCIPIS HASSO-DARM.  
STADINI Consilarii, Inclytæ Universitatis Ludovicianæ  
Cancellarii & Professoris Primarii, DN. Patroni,  
Promotoris ac Præceptoris æterno observantiæ  
cultu demerendi,

*Publicè defendendam suscepit*


NICOLAUS CÜLE, STADENSIS.

*Ad Diem Septemb. Loco horisq; solitis.*



GIESSÆ HASSORVM,

*Typis,* JOSEPHI DIETERICI HAMPELI,  
Acad. Typographi Ordinarii, 1660.





P R Æ F A T I O.



**U**CIUS Cornelius Europæus,

(sive is sit Caspar Scioppius, sive quis alius ex genere scriptorum satyricorum) in Monarchia, quam dicit, Sol-ipsorum Leoni Allatio dedicata, falsè perstringit quorundam Academicorum λεπτολογίας τεταρτολογήματα, quibus tempus per in-

utiles planè exercitationes terant, & ea discipulis proponant, quæ parum in usu momenti aliquando habitura sint, v.g. An scarabeus paradigmaticè stercora volvat in orbem? An si mus in mare mingat, timendum sit naufragium? An puncta Mathematica sint receptacula spirituum? An canum larratus lanam reddant maculosam? Qualia problemata apud Philosophos Solipsorum frequenter dicit ventilari: Ut sequentia in Theologorum illorum circulis: Vtrum in spaciis imaginariis possit institui navigatio? Vtrum intelligentia, Baruch dicta, habeat virtutem digerendi ferrum? Vtrum anima Deorum sint colorata? An Damonum excrementa (sit venia referenti) sint alexiteria hominibus in octavo gradu? An tympana, corio asini intecta, delectent intelligentias? Et ejus generis alia. Conf. Gell. lib. 10. N. A. cap. 22. ibi. Futilis & puerilis est meditatio argutiarum, quæ nihil ad vitam neque tuendam, neque ordinandam promovet. Quale etiam illud est problema de Gallo

A

Galli-


Gallinaceo Corydonis, qui dum assidue versatur in granario Amynta, alba Damonis Gallina ad ovum enitendum gratas fere suppetias: At uigra Lycida gallina ovo huic temere incumbens & incubans pullum excludit? Quer. quis ex istis quatuor, editi pulli Dominus sit? Qua subtilitas intenditur: si pullum nullius esse, ex iure ejusq; interpretibus ostendere satagas. Quod problema in celebri quadam Universitate propositum fuisse meminimus. Cum enim ars longa, vita brevis sit; in omnibus disciplinis danda erat opera, ut ea potius, quae usum in humana vita habeant aut theoreticum, aut practicum, expolirentur, quam ut ineptiis stultus labor impenderetur.

Ad eundem reprehensionis lapidem etiam impingere videntur, qui aut tritissima juris argumenta recoquunt & per emendicatas theses inani plebi reponunt obtruduntq;, ex mustaceo laureolam quarentes: Aut per incestuum excusationes famam non sine ambitu aucupantur. Nec omni reprehensione vacant, qui ex Wesenbecio, Treutlero, Bocero, Hakclmanno, Mejero, Arumao, Gothofredo Antonio & similibus antesignanis disputationes concinnant tumultuarias, aut nucleos ubique hiantes, nec ullam juris materiam justa methodo exponentes: quas satis justo certoque ordine compositas studiosi plenius & rectius in illis ipsis legere poterant, qui hoc pacto e manibus eorum excusantur, Authoribus: Cum interim tot supersint in utroque jure materia, tot tituli, tot textus, qui subinde operam eorum, quibus sua tempora feliciter currunt, & otium majus suppeditant, tantum non efflagitant: certe minore cum scandalo, quam incestuarum nuptiarum elogia, poterant tractari: Maxime cum Jurisprudencia a tot seculis certo careat Nomenclatore, qui difficultates in singulis textibus haerentes, expediat: glossis veterum, Item Corasii, Costalii, Gothofredi, Bandoza & aliorum, quos Ne-  
vius &



vius & Barbosa congeffere, subsidiis, parum proficientibus : Nos ergo in generali juris cursu Aliorum felici labore cum ad vigilatione usuri & palmam in finetis cum Gallo Corydonis versantibus facile concessuri, subinde argumenta quadam singularia, ab aliis haectenus non elaborata, certè methodicè non tractata, DEO clementer adspirante, per horas subservias cum commilitionibus excutiemus. E quorum numero hodie primum problema proponimus ;

## DE CONFRONTATIONE.



### I.

**C**onfrontationis vocabulum magis receptum est, De Origine  
vocis. quam latinum; inquit Damhuder. *in praxi rerum criminal.* cap. 47. num. 2. Subinnuens, vocabulum non esse latinum origine; sed fore donatum, posterioris ætatis usurpatione. Nequè enim vel Lindenbrogius, vel Doletus, aut Ferrerius aut Goldastus, Bignonus aut Wormius *in Onomasticis*: ac ne diligentissimus quidem Vossius aut Martinius, id vocabulum in suis analectis exposuère. Eodem modo Gödelmannus *lib. 3. de magis. cap. 9. num. 24. pag. 97.* Vocabulum confrontationis, magis receptum (usu,) quam latinum (origine) esse asleverat.

2. Et sanè si conjecturæ locus est, Gallis vox ista sua debet cunabula : Illis enim, *confronter*, idem est, quod Latinis componere & alitricus coram sistere; inquit G. Budæus *rerum forens Indic. Gall. Lat. pag. 54.* Add. Cujac. *in comment. ad tit. C. de accusat. & in script. pag. 1410. B. & in Papiniano l. 15. responsor. ad l. pen. §. 1. de publ. judic. pag. 571. E. ibi* : Ut reus componatur cum testibus, dicimus : *Confronté qu'il soit* : ut ex ore ejus & vultu iudex veritatem eruat.

3. Nisi fortè Italis quis malit productionem istius vocabuli assignare, qui sanè pleniore syllabarum expressione *confrontare* pro componere & committere dicunt : Atque hinc, la confronta-

4

uione pro compositione. Victorius Silius *rom. 2. Histor. lib. 3. pag. 1198.* Qui & hoc usurpat: porre a confronto. *Idem pag. 1191.* eodem sensu, quo prius; porre al riscontro. *Id. p. 1194.* Politus, longius abire videtur in *Dictionario Toscano pag. 183.* quando ista Synomicè hunc in modum reddidit: paragonare, riscontrare una cosa coll' altra; Latinè, conferre. Verbum enim confrontare, longè strictiorem habet significatum: Utrunque Italia voce latius aliquando utantur, vel potius abutantur, ut puta cum illud etiam ad res inanimatas extendunt, & ad instrumentariam rem applicant, dicendo: confrontare la copia coll' originale! quod hodie communiter dicunt, collationare. Politus *d. tract. pag. 568. in voce riscontrare.*

Et appellatio-  
nis ratione.

4. Deducta verò est haut dubiè tota denominatio à Latinorum fronte h. e. vultu aut facie, quasi dicas, de fronte ad frontem. Damhud. *d. cap. 47. num. 2.* Godelman. *d. n. 24.* ibi: Confrontationem nominamus quasi fronte ad frontem. Ex fronte enim cum per se multa colligant Physiognomi & Metoposcopi: Gratarolus, Gauricus, Johannes ab Indagine *pag. 88. & seqq.* multò rectius licuerit nonnihil colligere ex frontium diversarum compositione. Vultus enim sensus animi plerumque indicat, inquit Cicero *2. de Oratore cap. 35.* Imago animi vultus est, indices oculi: ait idem *3. de Oratore cap. 59.* Item in *Orat. pro Roscio Comædo:* Oro atque obsecro vos, qui nostis vitam inter se utriusque conferre: qui non nostis faciem utriusque considerate. Nonne, ipsum caput & supercilia penitus abraza, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciisque totus constare videtur. Qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur: Præclare natura, inquit Oldendorpius, simulationi sedem in fronte; sermoni in ore dedit; ut conspicuo in locodiu fallere non possent. Fit enim perrarò, frons ut ita sermoni subserviat, aut verba fronti convenient; quin malè conscia mens quoquo modo prodatur. In *tr. de testibus sub tit. de dictis testium pag. 853.* Frons, inquit Plinius, *lib. 11. N. H. cap. 37.* Tristitiæ, hilaritatis, elementæ, severitatis, index. Itaque cum Alexandro M. Literæ à

Parme-



Parmenione venissent, quibus jubebatur Philippi Medici medicamenta cavere, ipse vero fidem delationi non haberet; sed medicamentum nihilominus à Philippi manu sumeret, eoque hausto, Philippum epistolam legere juberet: à vultu legentis non movit oculos, ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore ejus se posse deprehendere. Vid. Curtium *lib. 3. c. 6.* unde illa Poëtae exclamatio:

*Heu, quàm difficile est crimen non prodere vultu!*

Et Juven. *Satyr. 2. Hunc ego fatis*

*Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur*

Et *Satyr. 1. inf.*

*Rubet auditor, cui frigida mens est*

*Criminibus tacita, sudant praecordia culpa.*

In homicidiis utique ferè omnibus videmus, statim mutari oculos, & torvum videre, amissa naturali illa suavitate, quam oculi habent, dicit D. Luther. *in cap. 4. Genes. verb. & posuit Dominus in Cain signum, ne quis inveniens eum percuteret.* De Magis & veneficis refertur in Directorio inquisitorum *part. 3. cap. de signis exterioribus, per qua Necromantici dignosc.* Maleficos ejusmodi communiùs habere totum visum obliquum ex visione, apparitione & colloca-tione malorum Spirituum. Henry. Boguet. *grandiuge au comtè de Bourgongne, in discursu suo de maleficis & sortilegis cap. 44. pag. 107.* hæc annotavit: *Quel'on s'est donné garde, que les sorciers ont les plus souvent, deux prunelles en un mesme oeil.* Alii plerosq; veneficos terram libentius & frequentius quam cælum contueri observarunt. Daniel Romanet. *in Instruct. Judicium in process. 9. veneficos artic. 7. & 10.* Sed hæc de re alibi.

§. Cæterum Synonimycè utuntur Galli aliquando verbo *Synonyma:* recoler, veluti cum dicunt: *Obtenir commission de la cour, pour faire recoler & confronter tesmoings, q. d. impetrare auctoritatem à curia testibus repetendis, nominatim denunciandis, cumque reo componendis.* Budæus *d. indice pag. 194.* Quanquam alias recoler tesmoings, propriè sit revocare vel repetere testes, ut infra circa formam annotabimus. Aliquando tamen ob actuum conjunctionem hæc nomina conjunguntur: Sic enim passim apud Gallo-

A 3

rum

rum Pragmaticos legas : tesmoins recolez & confrontez : Testes repetitos & cum reo compositos. Item, les recolemens & confrontations : Testium repetitiones & cum reis compositiones. Bud. d. l. Aliquando ferè confunduntur, ut ap. Charondam in *Codic. Henric. lib. 7. tit. 6. l. 23. not. ibi.* Mesmement les Advocats & Procureurs du Roy ne doivent assister aux informations, interrogatoires, recollemens & confrontations des accusez : Conferri potest Abbas Mesnagius in *Etymologico omnium vocabulorum Gallicanorum* hac voce.

6. Sic itaque vocabulum istud etiam in forum Germanicum translatum est : Latinius ut dicatur, à Doctissimo Budæo edoctissimus : Qui Græca quoque Synonyma adjecit d. pag. 54. *ἀντιπερωπῆς ἰσχυρῆς*, & *ἀντιπερωπῆς* interrogare. Alii conferendi vocabulo rem exprimere gestiunt, veluti Johannes Corasius in *Arresto Tholosano, de Martino Guerra, annot. 44. ibi.* Cùm Rollin cum reo conferretur, &c. Trahunt etiam alii eò locum Cicëronis pro *Cluent.* judicem vel testem ex altera parte coràm sistere in quæstione.

7. Cæterùm Pragmatici sine ullo conscientiz scrupulo, vocabulum hoc, cum tota sua progenie latinitate donarunt : Ita Johann. Vincentius Hondedæus *consil. 101. incip.* prima se offert dubitatio *inpr. ibi* : Dominus judex confrontavit testes cum inquisitis. M. Stephanus *lib. 9. de Offic. judic. cap. 8. num. 1. ibi* judex potest testes & socios criminis confrontare. Christoph. Crusius *de Indiciis part. 1. cap. X. num. 1.* Judex faciat nominantem & nominatum confrontari. Tranquillinus Ambrosius Jcius Senogallensis *in tr. quem processum informativum nuncupavit lib. 2. cap. 9.* ita inscripsit : de confrontatione testium vel sociorum criminis.

8. Nonnulli negotium Germanico vocabulo exprimere conati sunt, eine Gegenstellung / vocãcio, Oestereichische Lands. Ordnung *part. 1. artic. 36. ibi* : von der confrontation oder Gegenstellung. Dicitur etiam *zusammenstellung ibidem §. un.* Aliis *ins Gesicht oder vnter Augen stellen.* Constitut. Bavarica *Malesk vnd Process Ordnung dicta* (ordinationis Pœnalis Caroli V. in primis quoad proces-

processum inquisitionis attinet, suppletoria in dem **Eingang oder Vorrede pag. 794.) part. 4. tit. 4. pag. 814.**

9. **Definitio** videtur constituenda partialis, sive à partibus collecta, ut integrum definiti negotium τὸ συμπλεκόμενον exhibeamus; Erigitur confrontatio actus judicialis, quo iudex vel testes inter se, vel reum cum testibus, vel etiam cum correo aut denunciante coram componit, ad veritatem investigandam comparatus. Alii enim speciem tantum definire videntur, cum dicunt: Confrontationem esse commissionem testium cum ipso inquisito. **Johann. Brunneman. de process. inquisit. cap. 8. membr. 2. n. 93.**

10. **Divisio** Species confrontationis duas comminiscitur **Martl. Delrio** (quem **Casaubonus epist. 379. pag. 435.** hominum impurissimum, deterrimum, atque imperitissimum, nescio quo jure quave injuria, vocat) **lib. 4. disquisit. magic. lib. 5. sect. 10 pag. 747.** spontaneam & violentam. Spontaneam nuncupat, quando rei parati sunt alios nondum captos societatis arguere ac convincere: Hanc vero nunquam iudici esse suscipiendam monet, nisi talia præcesserint indicia, ut propterea citari possint, & jam citati, si non bene dissolvant **Objectiones rei**, constanter eos accusantis, queant in carcerem compingi; Nam alioquin injuriam fieri denunciatis. Violentam vocat: Quando complices in mutuis delationibus inter se disseant: Tunc, inquit, debent primò seorsim, postea simul de hoc dissidio interrogari: Quòd si subdole comperiat persistere, nec sit alia via inveniendæ veritatis, solent alter in alterius mutuo conspectu torqueri. Hactenus **Delrio.** Forsan rectius illam voluntariam & ultroneam: Hanc involuntariam & coactam dixisset; vel legitimam & minus legitimam.

11. Alii ineptius in ficcam & non ficcam divisere: ficcam dicentes quæ tantum delictum ipsum concernat, nō qualitates & circumstantias: Unde alterius speciei natura facile intelligatur. **Farinacius quest. 72. n. 139. vers. verum. It. lib. 2. consil. 185. n. 11, pag. 291.** Ubi addit: distinctionem istam & terminos suæ inventioni deberi; Neq; se erubescere se ipsum allegare in his, quæ ab aliis **Doctoribus scripta non reperiantur.** Priori autem locum esse tradit, quando iudex habeat in animo, torquere reum ex testium depositione



positionibus: Ita enim explorari posse, an reus se conformet cum qualitatibus & circumstantiis per testes descriptis, prout se conformaturus sit, si veritatem dicere ipsi in animo sit: Idq; scribit se vidisse servari à bonis ac sapientibus iudicibus, quando occurrerent casus totquendi reos in secretis carceribus: sed si contingat reos ad largum poni (prout fieri semper debeat) tunc confessiones istas siccas non adhiberi, nec indiciorum copias deminui. Hactenus Farinacius. An autem magnam accurationis & elegantiae laudem ex isto invento relaturus sit, ille variarum opinionum hama-xarius: in medio relinquimus: poterat fanè commodius dicere: Confrontationem aliam esse restrictiorem & breviorē, aliam laxiorem, ampliorem & diffusiorē.

Causa effie.  
remota.

12. Tametsi vero supra dictum sit, Nomen confrontationis esse à posteriore ævo; Res ipsa nihilominus antiquior esse videtur. Nam & in primo omnium, quod post mundum conditum institutum, fuit iudicio, talis quædam confrontatio placuisse conditori rerum, summoq; iudici, videtur Genes. 3. v. 8. & seqq. Nec rara in antiquitate commissionis ejusmodi exempla occurrunt: quarum quædam ex Curtio infra referemus. Apud Dionem lib. 60. (ex expeditione Leuclavii) talem confrontationem sub Imp. Claudio contigisse legimus. Cum Valerius Asiaticus nuper Consul, insidias Cæsari struxisse insimularetur, & causam apud Claudium dicere iussus, omnia negaret, neque se quenquam horum, qui contra se producti essent testes, agnoscere diceret: Tum miles, qui se consiliis ejus interfuisse perhibebat, iussus Asiaticum demonstrare; alium quendam, fortè adstantem indicavit. (Quippe solam calvitiei notam in Asiatico compertam habebat) ea res in risum multum versa, Claudium ita movit, ut de absolvendo Valerio cogitaret, nisi novis Messalinæ calumniis oppressus fuisset. Apud Tacitum lib. 15. Anal. cap. 51. cum Epicharis quædam conjurationis in Neronem conscia, à Volusio Procuro Chiliarcha deferretur; Eaque hunc in finem acciretur, ut nomina conjuratorum ederet: Negavit se earum rerum notitiam habere: Ideoque cum indice fuit composita; quem tamen nullis testibus innixum, facile confutavit



9  
fuit, (ut postea circa effectum porro narrabitur) itaque proditiis  
novis iudiciis, tormentis subiecta est. Apud eundem *d. lib. 15. c. 57.*

13. In historia etiam Ecclesiastica talia occurrunt confron-  
tationum exempla: v.g. Cum in Synodo Tyri, circa annum Christi  
335. convocata, ad accusandum Athanasium introducta esset mul-  
tercula libidinosa, ac petulans, quæ impudenter clamaret: se pro-  
fessam esse virginitatem, sed ab Athanasio, quem hospitio excepe-  
rat, per vim compressam, & invitam stupratam fuisse: Et cum  
ad hanc accusationem responsurus Athanasius cum comite presby-  
tero Timotheo ingressus, ipsiq; imperatum fuisset à iudicibus, ut  
crimini responderet: Refert Theodoretus *lib. 1. c. 30.* Athanasi-  
um obtulisse, periude ac si Athanasius non esset; Theo-  
philum autem mulierculam sic allocutum fuisse. Egone tecum  
aliquando rem habui? Egone tuas ædes ingressus sum? Tum il-  
lam impudentius & perulantius clamare; digladiari cum Timo-  
theo, manum educere; ostendere anulum ac dicere: Tu mihi  
abstulisti virginitatem, tu castitate me spoliasti, & alia, quæ impu-  
dentes meretrices propter intemperantiæ exuberantiam loqui so-  
lent. Ad eum modum cum his qui fabulam texuerunt (Eusebians  
nos atq; Melitianos intelligit) ignominia; tum iudicibus qui faci-  
norosi conscii erant, pudoris notam iniustam; Mulierculam autem  
è Concilio dimissam fuisse. Quod quam ægrè tulerit B. Athana-  
sius Historiæ Ecclesiasticæ authores fusiùs docent: Utiq; non si-  
ne causâ, sed, meritò desideravit, & obrestatus est, ex muliere calū-  
niatorum authores cognoscendos esse. Quemadmodum idem A-  
thanasius criminationis atrocioris, hoc est, homicidii in Arsenio  
commissi impudentiam, refutaverit; iuvabit ex ipso Theodoro,  
Sozom. Socrate & aliis cognoscere. Nos illud saltè referemus, quod  
in tractatione huius thematis forsàn usum nonnullum habebit.  
Cum sciscitatus esset Athanasius à iudicibus (verba sunt Historici)  
Ecquis inter eos Arsenium nosceret? Cum à multis responsum es-  
set? Se accuratè hominem noscere; eum introduci iubet, ac rur-  
sus percontatus: Hic cine est Arsenius, à me quidem interfectus  
ab istis autem quæsitus post cædem; affectus contumelia ac dex-  
tra manu privatus? Ubi verò assensum est, illum ipsum esse: A-

B

thana-



Athanasius exiit eum pallio, & utramq; manum cum dextram tum sinistram ostendit, aitq;: Aliam manum, nemo, opinor, quæret: Nam amplius quàm duas manus ab universitatis conditore, accepit nemo. Quibus rebus in hunc modum patefactis, cum oporteret & accusatores & iudices, qui facinoris erant confecti, præ pudore se in latebras abdere, optareq; ut tellus sibi dehisceret: Concilium tumultu implere, Athanasiumq; veneficum appellare, qui hominum oculos præstigiis falleret, &c. Alibi alia exempla memorantur.

Causa efficiens  
remota & quo  
jure nitatur  
Confrontatio-  
nis adhibito.

14. Ausus est Jodoc. Damhuder. sedem huic materiæ in jure Civili quærere & assignare *praxis crimin. cap. 47. nempe in l. Divus Pius 7. de questionibus.* Ubi tamen illud tantum in genere quæritur: In quibus causis quæstio habenda sit. Farinac. *d. quæst. 72. n. 140.* fundamentum ponit & collocat *in l. de unoquoq; 47. de re judic.* ubi dicitur: sententiam ferendam esse inter præsentem q. d. Ita etiam ante sententiam veritatem ex personarum præsentia colligi posse. Sed hæc collectio iterum nimis frigida; certè languida est. Propiora ex tit. de testibus & quæstionibus quæri possent cunabula. Nolumus autem certi quid adserere: Cum nec Gultelmus Durandus, nec Robertus Maranta nec Mascardus, Pacianus, Menochius, aliq; rerum practicarum Magistri, ac ne ipse quidem Bertachinus omnium sententiarum compilator studiosissimus, tale quid adserere ausi sint.

15. Enimverò, quod de origine interrogationum scribit Johann. Aloysius Riccius *decis. Neapolit. 263. num. 1. nimirum, ante cap. presentium 2. de testibus in 6.* non fuisse interrogatoria de jure cognita, sed tantum de facto: Idem forte etiam de confrontatione asserueris; nempe consuetudini eam potius & observantiæ iudiciorum, quam juri scripto asserendam esse. Nam & Jus Civile & Canonicum ægrè admittunt (*saltem non regulariter Vid. Bocer. cap. 2. de tortur. num. 40.*) testimonium facinorosorum & confessorum in alios *l. repeti 16. §. 1. de quæst. ut infra pluribus dicetur.* Testibus autem fide dignis creditur etiam sine confrontatione. *l. in exercendis 15. C. de fide instrument. l. ubi numerus 12. de testib. cap. 4. cap. licet 23. Extr. 204. v. Author. Des Weinsichen Sächf. Inquisition und Ache process*



process. tit. 7. artic. 4. pag. III. lit. L. ibi : Es ist bey den Gerichten durch öffentliche observanz eingeführet / daß diejenige Zeugen / so wieder inquisitum etwas deponiret , derselbe aber dessen nicht geständig / mit Ihm confrontiret, Ihre Aussage zu widerholen / vnd Ihm in faciem zu thun angehalten werden / wie hievon melden / *Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. ult. quest. 45. num. 14. Farinac. de testib. tit. 8. quest. 72.*

16. Enim verò quia multi observantia nullum inter partes juris locum relinquunt; *Cic. in Topic. ibi* : Formæ juris sunt hæ, in quas genus sine ullius præmissione dividitur, ut si quis jus in legem, morem & æquitatem dividat. v. *Cujac. lib. 2. defn. Papin. ad l. 17. de l. & J. Aliter Modestinus in l. pen. de LL. Locam. ad §. 9. l. de de fur. N. G. & C. Merillius, 1. Observat. 38.* Doctores autem valdè confuse ea de re loquuntur : non pigramur obiter aliquid de observantia commentari : ut quali fundamento totum hoc confrontationis jus innitatur, clarius evadat. Initio autem notandum, voce observantia referri vel ad singulos, vel ad totum populum, adeoque non incommodè fortè distingui posse in publicam & privatam. v. g. quando dubitatur de interpretatione alicujus instrumenti contractus, interpretatio sumi solet ex actibus partium qui subsequuti sunt : quòd actus sequens declarat voluntatem præcedentem *l. tom. 7. §. proinde. 12. ad Scit. Maced.* Latè de ea observantia agit *Joseph. Ludovic. Conclus. 38. per tot.* Conf. quæ notata sunt ad *Barbosam Lib. 13. cap. 30. axiom. 1.* Atque ita etiam accipit vocabulum observantia *Besold. thes. pr. verbo : observanz in vers. priore. Jacob. Schulk. 2. quest. 55. num. 33. & seq. ibi* : Ille enim intellectus pactio- num a summi retinerique debet, quem rerum exitus i. e. observantia atque executio partium demonstraverit. *add. Fontanell. de pact. nupt. Claus. 6. conclus. 3. part. 2. num. 24. & seqq.* Quando autem publicè in judiciis vel extra judicium aliquid per observantiam introductum est, publicæ id observantia nomen meretur : Sicut illa jus faciat tantum inter partes : hæc verò inter omnes. Sunt, qui observantiam cum consuetudine confundunt, & ista vocabula synonymicè usurpant, uti inter alios facit *C. Klock. comment. de Contribut. cap. 20. §. 86. & seq.* Alii tamen consuetudinem propriè & specificè acceptam ab observantia distinguunt : v. *Beroum & alios*

Obiter de observantia.

*cap. Ant. Scapum. de jure non scripto prelim. 2. num. 10.* qui differentiam consuetudinis & observantiae (1) in eo collocant; quod in consuetudine requiratur, ut sit praescripta; Ad observantiam vero inducendam sufficiat probatio aliquorum actuum uniformiter observatorum: ut ita observantia sit species juris non scripti, quae ex aliquot actibus colligatur; citra quam ut diuturnitas temporis simul allegetur. Sequitur notat. *C. l. A. de consuetud. num. 44.* Addit (2) *Trentl. 1. disp. 1. d. 9. lit. a.* observantiam esse frequentem usum, per quem tandem consuetudo introducatur. (3) Adeoque observantiam jus facere tantum inter partes; inter alios vero, non nisi actu primo; quia observantia in facto consistat: Donec ex pluribus ejusmodi factis, jus illud exsurgat, quod consuetudinem appellamus. (4) Additum est in notis *ad C. 7. A. de LL. th. 44.* non sane ex mente mea: Observantiam induci uno actu & sententia, per *Berlich. 2. Conclus. 53. num. 67.* Consuetudinem ad minimum duos actus requirere. Fortè (5) rectius aliquis determinator dixerit: Observantiam sic proprie differre à consuetudine, ut nonnulli morem, oppositivè sumtum, à consuetudine discernunt; Ita enim de *Varrone* scribit *Servius 7. Aeneid.* Eum dicere: morem, communem consensum omnium simul habitantium; qui inveteratus, consuetudinem faciat. S. ut *Macrob. lib. 3. Saturn. c. 8.* refert: Varro morem dixit esse in judicio animi, quem sequi debeat consuetudo. Unde fortè *Isidorus lib. 2. orig. cap. 20. & lib. 5. cap. 3.* Consuetudo inquit est jus quoddam moribus institutum. Possis sic etiam exaudire *Justinianum* in §. sine. 9. J. de jure nat. gent. & civ. Diuturni mores, (postquam) consensu utentium comprobati fuerint, (& ita inconsuetudinem abierint) legem imitantur.

17. Cæterum si nobis solum sit & liberum quid de istis traditionibus sentiamus candidè exponere; arbitramur observantiam, quam diximus, publicam à consuetudine vix sejungi & distinguere posse. Adeoque *Klockium* & alios non imperitè has conjunxisse: Quemadmodum etiam fecit *Dn. Carpzov. 2. Respons. 40. num. 17. ibi*: Estque consuetudo & observantia optima legum interpretres. Nam quod primam differentiam attinet; Notum est ea, quae de decenniali praescriptione olim placuerunt, communiter à  
recen-

recentioribus reprobata esse, quòd tempus hoc nullibi in jure determinetur, sed judicis arbitrio relinquatur, an consuetudinem pro introducta habeat. *Menoch. de A. J. Q. casu 83. num. 6. C. I. A. de L. L. lib. 37. Finckelthuf. de consuetud. lib. XI. Quòd si ratio Wesenbecii comparat. de L. L. num. ult. vers. ad inducendam*, evincit, ut in consuetudine inducenda 30. annos requiramus, siquidem jus incorporale tantum in hoc annorum numero inducitur: Quidni idem in observantia quoque inducenda desideremus: Utrique si de traditionibus pugnandum est, etiam ad observantiam inducendam, non pauci, saltem decennii lapsus requirunt. *v. Fontanellam d. part. 2. num. 40. pag. 340. Effata autem doctorum ad privatam illam observantiam tutius accommodantur. Vid. Dn. Carpzov. 2. responsor. 35. n. 16. pag. 293. ibi: Observantia pactorum præcedentium declaratrix, ne quidem ullum tempus aut præscriptionem requirit. (2) Altera Treutleri differentia, quartam destruit: Quæ unum tantum ad observantiam actum desiderat. Sed adducti ibid. Dd. in primis verò *Berlich. d. num. 67.* disertè loquitur de observantia privata, familiaris alicujus. Adeoque ad observantiam publicam inducendam æque plures actus requiremus: quæ enim aliàs populo innotescere posset? *Bald. in l. 1. num. 7. C. quomodo & quando. Præposit. & alii ap. Pruckmann. Consil. 39. num. 70. Marpurg. 4. Consil. 26. num. 114. & consil. 43. num. 35. Confer Bachov. ad Treutl. d. l.* Nam & observantia non amplius habet de potentia, quàm probetur de Usû. *Bald. in l. ult. num. 9. C. commun. utriusque jud. Ern. Cothman. 1. Conf. 16. num. 4. & seq. Carpzov. 1. decis. 29. n. 10.* Porro differentia tertia id ipsum dicere videtur, quod volumus; Nimirum observantiam publicam non differre à consuetudine: privatam autem ab utraq;*

18. Ac ne cui dubium hæreat ex autoritate Dd. producere possemus textus complures, ubi consuetudo & observantia synonymicè accipiuntur. Illustris in primis, si quis animum diligenter advertat, textus est in *l. sed & ea 35. de L. E.* ubi dicitur: Ea quæ consuetudine (i. e. usu populi diuturno *l. 32. d. t.*) comprobata sunt, ac (quæ particula non est diversificativa, sed copulativa & h. l. *επιτηδειν*) per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus quàm ea, quæ scripta sunt, jura servantur.

Ad ob-

Ad observantiam ergo publicam eadem causæ concurrunt, quæ ad consuetudinem requiruntur: nempe tacitus civium consensus per actus plurimorum annorum declaratus. E. utriusque eadem est ratio *Add. l. 1. §. impuber. 33. ibi*: & aliàs solet hoc in usu observari, ut impuberes non torqueantur: *Ad Sc. Silan.* Item *l. an in totum 3. C. de edific. privat.* ubi in Quæstione: An licuerit in totum, ex ruina domus, non eandem faciem in civitate restituere, sed in hortum convertere: Et an hoc NB Consensu tum Magistratum, non prohibentium; tum Vicinorum factum sit: Præses probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt; causâ cognitâ statuet. Quid enim per observantiam hic aliud intelligemus, quàm consuetudinem municipii?

19. Sunt, qui cum ista observantia confundunt, rerum iudicatarum auctoritatem, veluti cum *Besold in thes. practico verb. Erb. Einigung §. hisce.* scribit: Sæpenumerò ipsos Impp. non habere aliud, certè non adducere opinionis vel constitutionis suæ fundamentum, quàm communem observantiam. Idque inter alia probat per *l. filius emancipatus 14. Ad L. Corn. de fals.* Sequitur *Dn. Carpzov. decad. 5. de jur. femin. posit. 4. num. 23. Itemq; 4. respons. Elect. 14. num. 4. pag. 796.* Tamen verò sententia per se vera sit *d. l. 1. §. 33. ad Sc. Silan.* Adducta tamen *l. 14.* non de observantia illa à consuetudine distincta; sed de auctoritate rerum iudicatarum loquitur, *ibi*: Sic enim Inveni Senatam censuisse. Quæ aperte ita distinguuntur invicem in *l. Nam Imperator. 38. de LL. ibi*: In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. *Conf. §. 1. ibi; quod nusquam. 7. de pæn rem litig.*

20. Porro observantia ista publica dividi potest prout actus ipsi sunt diversi; in Judicialem & Extra iudicialem. Judicialis est, quæ ex actibus judicialibus colligitur: *§. ult. ibi*; quam formam non solum in hac regia urbe; sed etiam in omnibus nostris provinciis obtinere censemus: cum necesse sit omnes provincias Regiæ urbis observantiam sequi. *7. de Satisf. Conf. l. 11. §. ibi*; Illud à quibusdam (Magistraribus) observari solet. *De custod. & exhib. reorum.* Nec dubitarim hanc observantiam iudicialem; Stylum curiæ di-

riæ dicere, cum *Dn. Carpzov. 2. respons. Elect. 53. num. 8. & seqq. pag. 334. Conf. Diether. de Stylo curia. §. 13.*

21. Hoc amplius Dd. faciunt aliam observantiam inductivam, aliam vero interpretativam actus præcedentis. In illa longum tempus, in ista non item requiri, constituentem, *Klock. d. cap. 20. de contrib. n. 94. pag. 488. Fontanella d. l. Arbitror illam itidem nihil aliud esse, quàm consuetudinem, conf. Rennem. 1. disp. 2. th. 1. Vbi: consuetudinem hoc pacto Germanicè reddit: Eine alte vernünftige Gewohnheit / oder / guter wolhergebrachter Gebrauch. add. th. 5. ubi observantiam speciem facit consuetudinis, latius acceptæ. Ut enim tacito populi usu consuetudo, sic etiam observantia inducitur: porro cum actus subsequentes declarant instrumenta, parum interest sive consuetudinem subsequentem appelles: Ut sanè appellat promiscuè, citatus à *Klockio Aymo Cravetta consil. 828. n. 11. pag. 286. vers.* Ex observatione aut consuetudine generali mentem disponentium declarari.*

22. Confrontatio ergò (ut ad causam efficientem hujus juris revertamur) pertinet ad observantiam publicam judicialem, sive consuetudinem judiciorum, cum iudices multis eam modis utilem experti, sensim sensimq; in causis civilibus & criminalibus, ad eruendam veritatem adhibere cœperint. Rationes & causæ pro-catarcticæ reddi possunt & Generales sc. quæ ex æquitate, saltem civili, h. e. utilitate insigni, si non necessitate, observantiam hanc sive consuetudinem judicialem populo persuaserint. *arg. l. pen. de de Leg. l. 2. §. 5. de Aqu. & aq. pluvi. arc.* Et speciales, quæ in singulis causis eam iudici debeant persuadere.

23. Ex generalibus prima esse potest, quod Judicem omnibus modis sollicitum esse & omnia rimari oporteat, quomodo veritatem eruat, nec quicquam omittere eorum, quæ honesta ratione illi fini comparari & applicari possint, secundum prudens *Elextherii Papa monitum in can. judicantem 11. caus. 30. quest. 5. l. 9. C. de judic. Carpzov. part. 1. constit. 26. definit. 12. n. 4. Menoch. consil. 1244. Reip. Sapientes. n. 1.* Atqui experientia docuit, confrontationes ejusmodi ad eruendam veritatem plurimum valuisse, ut modo intelleximus & deinceps pluribus edocendi sumus. Subindicationem quoque fuit, quàm facilè vultus prodat animum, & ex collatione

Causæ pro-catarcticæ.

tione frontium quàm multa eruantur: Unde forsan factum, quòd  
 in iudiciis Judæorum caput Scholæ S. Nasi & pater domus, sive  
 adjunctus ejus, sedeat inter assessores forma semicirculari, ut omni-  
 um vultus inspicere, & quo animo calculum ponant, possint a-  
 nimadvertere, tradente *Mose Egyptio sive Maimonide in cr. San-  
 hedrim cap. 1. §. 3.* Itaque hoc remedium non temerè in iudiciis  
 est receptum. Deinde iudici omninò cavendum est, ne nimium  
 properando efficiat, ut vel innocens condemnetur, vel nocens im-  
 punius dimittatur. *arg. l. nimis propere 1. C. de Execut. rei judic.*  
*Christoph. Crusius part. 4. cap. 29. n. 5.* (ubi videtur hunc textum  
 laudare voluisse) Quo pertinet elegans Juliani Apostatæ apoph-  
 tegma, quod *Ammianus Marcell. lib. 3. histor. cap. 1. refert, his*  
*verbis: Numerius Narbonensis provincie ante Rector, coram Impe-*  
*ratore ut fur accusabatur; Qui cum insitiatione defenderet objecta,*  
*nec posset in quoquam confutari, Delphidius Orator acerrimus, vehe-*  
*menter eum impugnans documentorum inopia percitus, exclamabat:*  
*Esquis, Florentissime Cesar, nocens esse poterit usquam, si negasse sus-*  
*fecerit? Contra quem Iulianus prudenter motus, ex tempore: Esquis,*  
*ait, inn cens esse poterit, si accusasse suffecerit? Hactenus Marcelli-*  
*nus. Eodem modo Apulejus in pr. Apologia: Insimulari quivis in-*  
*nocens potest, convinci nisi nocens, non potest. Notabiliter Mar-*  
*silius in pract. crim. §. occurrunt n. 1. & 2. Advertas, (inquit ad ju-*  
*dicem,) dum eris iudex, quod si coram te agitabitur causa aliqua*  
*de re irtractabili, vel de pæna vitæ, vel mutilationis membrorum,*  
*vel de alia re, vel pæna, in qua nihil operatur pænitentia, ut in tali-*  
*bus non festines, vide Christoph. Crusium part. 4. de inquisit. c. 28. n.*  
*6. & cap. 35. n. 5. Ubi iudices ejusmodi præfestinantes maximè in*  
*causis criminalibus graviter à sapientibus perstringi, monstrat. At-*  
*qui si iudex copiam haberet confrontandi, eaque neglecta pro-*  
*nunciaret, haud dubiè in has reprehensiones incurreret; Ita-*  
*que in iudiciis meritò confrontatio observatur. Ac sane si ju-*  
*dex ingenio suo auctoritatem dignitatis suæ augere debet, ut*  
*ait Jctus in l. 19. in f. de offic. Presid. prout Ille solebat Salomonem*  
*imitari, quando matri filium pro suo non agnoscenti, imperavit,*  
*ut illi nuberet; Et sic detrectantem convicit: Utique non debet ju-*  
 dex o-

lex noster omittere hanc acuminis sui exercendi occasionē: Ubi ex utriusque vultu intimos animi sensus aliquando poterit colligere. Wie wohl die confrontation so gar nothwendig zum Inquisition Process nicht erfordert / und ohne denselben / der Zeugen Eydliche Aussage (nempe si ea suppetant) nichts weniger glauben gegeben wird; So ist doch von berührter observanz nicht leichtlichen abzuweichen. *Autor S. Inquisit. process. d. tit. 7. artic. 41.* Insonderheit weil durch dergleichen confrontation, inquisitus zum öfftern zu güttlicher Bekandnuß gebracht; oder durch zweiffelhaffte Reden / variation, entfärbung im Gesichte / zittern der Gliedmassen ic. viel verdächtiger gemacht wird: Also daß die Schöpffen, Stühle darauß sicherer verfahren vnd leichtlichen zur scharffen Frage gelangen mögen. *Id. ibid. in notis ad n. 1.*

24. Quia tamen confrontatio ista, ut postea dicemus, non nihil præjudicii affert; non debet generalibus istis rationibus induci iudex; (ad Iudicem enim indictionem spectare, itidem paulo post monebimus) sed specialibus rationibus & indiciis, quibus quis gravetur vel suspectus fiat. Inter quæ in primis huc pertinet nominatio s. denunciatio sociorum criminis. *Christoph. Crusius part. 1. de Judic. cap. 20. num. 1.* Im Fall der Inquisit durch der Zeugen Aussage graviret vnd verdächtig gemacht wird / ist von der observanz nicht leichtlichen abzuweichen; sondern im Fall der Inquisit durch der Zeugen Aussage graviret vnd verdächtig gemacht wird / soll man zur confrontation schreiten.

25. *Causa efficiens proxima.* Causa itaque efficiens proxima confrontationis erit iudex ordinarius, qui arbitrabitur, an confrontatio interponenda sit, nec ne. *Zanger. de Tortur. cap. 2. num. 49.* In quo ideo summam prudentiam requirit *Dambuder. in praxi crimin. cap. 47. pag. 2.* Quid in delegato? Plerique delegarum confrontationem instituere aut indicere posse, negant. Vid. *Johan. Tournet. in Codice Henriciano lib. 7. tit. 6. l. 24. pag. 215.* ubi refertur constitutio Francisci I. Galliarū Regis, exigens, ut omnis processus Criminalis fiat per iudices, aut eorum Vicarios & Assessores; non per Procuratores aut Advocatos regios, per Actuarios iudicii, aut eorum scribas, vel commissarios; neque in interrogatoriis, repetitionibus testium, confron-

Confrontationibus, aut aliis actibus & terminis processus criminalis delegatio fiat. Idque sub pœna suspensionis ab officio, vel etiam privationis, vel graviorum animadversionum. Rationem fundat Charondas in ea regula: Quod causæ criminales non sunt delegabiles (*facit l. 1. pr. de Offic. ejus cui mand. est jur. l. solent 6. pr. de offic. Proconf. & Leg. l. nemo 70. de R. J. Ungepaur. ad tit. de offic. & potest. judicis delegari num. 20. & seqq.*) Quamobrem & acta ipsa coram iudicibus criminalibus fieri & absolvi conveniat, per *Auth. Apud eloquentissimū C. de fide Instrum. in verb. Testes apud iudicem debent presentari.*

26. In causis equidem civilibus minus est periculi, & solent ibi testes plerumque per commissarios audiri. At in causis criminalibus maximè delictorum occultorum, in quibus peculiaris requiritur *ευσχία* etiamnum utilis, si non necessaria esset iudicis præsentia, *arg. l. 3. §. 3. de testib. ibi: nam ipsos interrogare soleo.* Multa enim observanda sunt iudici in persona examinanda; veluti mutatio vultus in pallorē & ruborem; titubatio & inconstantia loquendi, trepidatio & alia huiusmodi: *v. d. sup. thes. 3. & 23.* Benè id Arcadius & prudenter animadvertit *in l. de minore. 10. §. plurimum 5. de Question. plurimum inquit, in excutienda veritate etiam vox ipsa & cognitionis subtilis diligentia adfert: Nam & ex sermone & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid dicat, &c, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. Quamobrem Oldendorp. in tr. de testib. sub tit. de dictis testium, pag. 853. magnoperè reprehendit iudices, qui passim in omnibus causis examinationes ejusmodi delegant aliis, adeoque non raro solis tabellionibus, omnium rerum ignorantissimis. Rejicit etiam excusationem iudicum, qua causari solent; se omnes circumstantias diligenter describi jussisse. Nam dic mihi, inquit, quibus pennis depingeret, aut qua verborum phrasi assequetur tabellio habitum, vultumque in teste toties mutato, quem vix oculis intentis assequâre.*

Objectum  
confronta-  
tionis.

27. Nihil prohibet quo minus de Objecto Confrontationis statim tractemus, jam tum enim illud obiter attigimus & designavimus. Nisi id in generale & speciale dispescere allubescet. Generale dixeris, causarum Civilium vel Criminalium, Inprimis  
verò



Verò confrontationi locus est in causis Criminalibus sive per Inquiritionem, sive per accusationem procedatur: Et quidem non tantum eo casu, quo reus crimen negat; sed & si illud confiteatur. Cum enim & errare quis, & metu percelli & tædio vitæ excidium sibi parare possit: non statim Confessionibus reorum plena habeatur fides, ita ut ea sententiæ lationem perficiat; l. 1. §. 25. de *Quest. Constit. Crimin.* 48. usq. ad 60. Du. Reinking. *respons. de sagis. q. 2. n. 99. & q. 3. n. 525. Wesenb. de Quest. n. ult. vers. Quoad ad effectum.* Nec aliud sentit Venulejus in l. si confessus. 5. de *Custod. ex exhibit. reor.* Uti quidem eum textum paulò laxius inducit ipse Wesenb. d. t. de *Quest. num. 1. ibi: Si reus sponte confiteatur, ex sua confessione condemnatur, per d. l. 5.* Neque enim hoc dicit Venulejus; sed id tantum: si reus crimen fuerit confessus; conjiciendum eum esse in vincula publica (& ibi asservandum & custodiendum esse) donec de eo pronuncietur: Nempe postquam prius constiterit de corpore delicti l. 4. de *Confess.* ubi Wesenbecius ipse num. 4. (2) nec alius author invenitur & (3) reus in Confessione perduret, Iterùm ipse Wesenb. d. num. ult. de *Quest.* Itaque & hoc casu testes aliquando cum reo componendi erant. *Guil. Budæus in Forensibus pag. 190. vers. rei capitalis.* Maximè si ab ejus confessione, saltem in circumstantiis, discrepent. *Bartol. Clarus & alii citati Ambrosino d. cap. 9. num. 20. & seqq.* Videndus de Confessionibus inter alios *Daniel Romanet. in d. instr. judic. artic. 27. & seqq.* Ubi disting. inter Confessionem factam extra omne iudicium, vel coram aliquo iudice. Illam sufficere ait non tantum ad capturam, sed etiam ad Torturam: (multò magis ergò ad confrontationem) Idque juxta Clarum adeò obtinet, etiam si reus confessionem talem revocaverit, *Quest. 21. num. 31. Bœr. decis. 90. num. 4.* Cum aliàs omnes confessiones extrajudiciales sine effectu futuræ sint: Idem ait pronuntiandum esse, de confessione facta coram iudice incompetente. Nisi confessus docere possit, per errorem se confessionem edidisse: Neque enim fateri videri eum, qui errat, l. non fatetur 2. de *Confess.* De judiciali inf. nonnulla subjicientur. Juvabit etiam de quæstione ista audire *L. Charandam in observat. ad Codicem Henricianum Brissonii lib. 7. tit. 6. l. 5. pag. 215.* Ubi sic scribit: Equidem Confessio propria valdè reum

onerat : Unde etiam illa Quintilliani interrogatio : coarguendis criminibus , quis labor adversus confitentem ? Et qui confessum defendit , non absolutionem sceleris petit , sed licentiam : Quod à Demosthene & Cicerone sæpè in Orationibus refertur. Nihilominus etiam hoc casu probatio diligentius instruenda est ( inquit Charondas *ibid.* ) si quis enim ultro de maleficio confiteatur , non semper ei fides habenda est , l. 1. §. si quis ultro 25. de *question.* Non enim qui accusatur , sed qui convincitur , reus est , dicente Carolo M. in *Capitul. lib. 7. cap. 186.* Erit ergò officium judicis in criminibus præsertim publicis , processum instruere , neque subsistere & acquiescere in sola accusati Confessione , sed ipsum convictum reddere per probationes : Id quod efficere poterit : par la forme de recollemens & confrontations , par laquelle il rendra le procez parfait & en estat de juger : Car l' omission de telle forme rendroit le procez null. Ita Charondas.

28. Multò verò magis confrontationi locus erit in causis criminalibus reo factum diffidente & negante , per ea , quæ *inf. passim ostendentur.* Excipiunt nonnulli crimen veneficii seu maleficii. In causis enim lamularum confrontatione testium non esse utendum , cum suo Simanca scribit *Delrio lib. 5. disquis. Magic. Sect. 5. §. 2. pag. 727.* Nisi ex magna causa & omni periculo cessante ; prout sanè cesset , quando complices deposuerunt. Quæ traditio aut imperfecta est , aut principiis communibus nequaquam convenit. Cum enim crimen hoc & occultum sit & in varias se formas diffundat , quippe ingeniosissimi Nebulonis inexplicabilibus involutum technis & artibus : Tanto minus prætermittenda est ulla honesta investigandæ veritatis ratio. *Godelmannus tr. de Magis lib. 3. cap. 9. num. 23.* Imò alii pro regula tradunt , ut simulatque captivus aliquis accusatur per socium criminis , judex eos confrontare debeat ; siquidem nihil æque confundat magum aut veneficum , quàm si cernat ante oculos sibi constitui aliquem , quem socium expertus sit in Sabbatho ; maximè si denunciator ille in sua accusatione constans permaneat , *Daniel Romanet. in instructione judicum circa processum contra veneficos artic. 12. pag. 17.* De crimine L. M. humanæ infra exempla memorabuntur.

29. In causis civilibus minus frequentatur confrontatio  
 & ut *Ambrosinus d. cap. 19. num. 20.* scribit; non utendum est illa nisi  
 in actibus, in quibus à consuetudine & praxi recepta reperitur.  
 Habemus enim (inquit) illius loco repetitionem & sic remedi-  
 um ordinarium; unde ad hoc extraordinarium & subsidiarium re-  
 currendum non est. Aliquando tamen (ita pergit) est etiam con-  
 frontatio necessaria, nec sine illa rectè potest constare processus:  
 videlicet (1) Quando testes deponentes invicem sunt contrarii,  
 ut puta si unus dicat Petrum fuisse præsentem; alter verò neget  
 eum adfuisse. (2) Quando aliquis testis directò contrariatur de-  
 positioni ipsius rei: (3) Quando ad rei recognitionem pervenire  
 non possumus, nisi mediante illius inspectione, puta, si dicant te-  
 stes, aliquem tale delictum commisisse; verùm se ipsum aliter non  
 nosse, quàm de facie, aut vestitu, aut de alia aliqua circumstantia  
 visibili (i. e. in oculos incurrente, vel quæ visu possit cognosci ac  
 dijudicari) Tunc enim reus est omninò testibus exhibendus, ut in-  
 spiciatur & recognoscatur; An is sit illemet, de quo deposuit. Ha-  
 tenus *Ambrosinus*.

30. Porro objectum speciale, est specialis ejusque iudicii  
 causa, circa quam veritas ex compositione frontium eruenda ve-  
 niat. Cujusmodi exempla modo ex *Ambrosio* retulimus.

31. Ratione subjecti, *Constitutio Bavarica, Constitutioni*  
*Carolinæ*, uti diximus, in illa provincia propter inquisitionis pro-  
 cessu adjuncta, nec illaudabilis, inscript. *Malefiz. vnd Proceß Ord-*  
*nung / part. 4. tit. 4. pag. 814. sub tit. von der Confrontation*: saltem  
 reos invicem, aut reorum aliquem cum testibus committit: in ver-  
 bis: Die Confrontation geschiehet entweder (1) daß man die  
 complices, welche in eine Missethat gefallen vnd zugleich verhaftet  
 seind / einander vnder die Augen stellet / wann nemlichen der eine alle-  
 beritt die That bekennet / auch die benambsung des Gesellen oder  
 Helffers mit der Tortur bestäriget hat; oder sie geschiehet (2) wann  
 man dem Gefangenen einen oder mehr Zeugen vnter Augen stellet /  
 vnd Ihme / was der Zeuge saget / selbst anhören läßt. Quam speciem  
 tantū exprimit desumpta ex illa alterâ *Constit. Austriaca, die Dester-*  
*reichische Land, Gerichts Ordnung / part. 1. art. 36.* Et illas quidem

Subjectum, s.  
 personæ quæ  
 invicem compo-  
 ni soleant;

C 3

duas

Quas species, utpote frequentiores tantum recenset Author de sp. C. Inquisit. vnd *Act. Process* pag. 112. Sed usus docet etiam tertiam speciem dari, nempe quando accusatus cum indice seu delatore componitur; qui a teste differt. Nam ut *G. Budens in Indice rerum forensium Gallico-Latino* pag. 54. b. tradit: Faut-il confronter sou ventefois l'accusé à celui, qui a decelé le cas: Opus est componere accusatum cum ipso indice. Quin & ipsi quandoque testes (4) inter se committuntur: nempe quando in deponendo disconveniunt, siue contraria deponunt, veluti si unus hominem suspectum criminis reum faciat, ac veluti accuset; alter verò eum excuset. *Dambuder. in praxi crimin. sap. 47. num. 3.* Hinc dicuntur ap. Gallos; tesmoings confrontez: testes altrinssecus commissi. *Budens in d. Indice* pag. 54.

Aut debeant  
nec ne.

32. Quæ verò personæ confrontationem subire teneantur? potest & absolute & comparate disputari. Cum enim confrontatio, ut infra audiemus, sit actus præjudicialis, odiosus & speciem suggestionis continens, nec parum famam honesti viri lædens, abque indicis sufficientibus neminem honestum virum ea facile onerandum esse communiter traditur. v. *Carpeov. in praxi rer. crim. part. 3. quest. 114. num. 77.* Unde etiam in exceptis criminibus v. g. Læse Majestatis, Viros Illustres aliquando hac præscriptione usos fuisse meminimus. *Arg. l. 16. C. de testib. v. g.* Cum superioribus annis Gasto Aurelianensis cum Bullioneo & Cinqmarthio foedus iniisset, de intromittendo in Galliam Hispano, eaque conjuratio Regi tempestivè detecta & renunciata fuisset; Bullioneus & Cinqmarthius capti sunt; Gasto vero, regis tum frater, arcana conspirationis ingenuè confessus est. Cum autem ea conjurationis capita Cinqmarthius initio pernegaret, decretum fuit ab illius cognitionis iudicibus, ut Gasto cum Cinqmarthio confrontaretur: Gasto confrontationem curatissimis verbis deprecatus est, quæ *Victorius Silius tom. 2. histor. lib. 3. pag. 1192.* sic exprimit: Rogasse sc. Regem, ne permitteret, ut cogereetur ipse exercere actum tam detestabilem, come quella, d'esser posto à confronto de' prigioni: Amando d'andar piu tosto ramingo & mendicando per tutto il mondo, che d'ubbidire in ciò, à comandi reali. Rex casum & deprecationem istam cum præcipuis Parla-

Parlamenti advocatis contulit & deliberavit; Utrum decretum hoc mutari posset? Rege ipso cupiente fratrem eximere & abstinere s. amovere ab actione, quæ nomini ipsius notam imprimere, & sanguinem regum posset dehonestare. Itaque à Doctoribus definitum fuisse: Validam fore Gastonis depositionem, utpote filii Franciæ, dummodò denuò interrogaretur super contradictionibus & exceptionibus captivorum, à Cancellario, in præsentia septem Commissariorum. Quod & factum: Gastone in priore depositione persistente. Addit autem Victorius: Præcipuos interim Galliæ Jure Consultos, affirmasse; cautelam hanc non satis explere defectum confrontationis, & censuisse, invalidam esse asseverationem Gastonis sine formalitate ista confrontationis essentiali, à jure communi requisita, & antiquissima Galliæ consuetudine canonisata sive stabilita, ut absolutè necessaria; Cùm præterea illa æquipollentia, ridicula planè, & per meram adulationem inventa sint; ita ut testimonium testis non confrontati ubique locorum (saltem in Gallia) pro inutili habeatur. Hactenus Sirius. Planè qui cogi possint vel non, ex tit. de testibus cogendis primum erit colligere. *V. C. 7. A. de testib. ib. 18. Conf. inf. thesult.*

33. Ex quo fonte etiam dilui poterunt difficultates circa subjectivam comparationem occurrentes: Arque ita cavendum esse monet *Ambrosinus d. c. 9. num. 16. & seqq.* Ne iudex filium cum patre, servum cum Domino, vilem personam cum nobili, aut pauperem cum divite, aut timidum cum potenti; & similes confrontari faciat: Quia difficulter isti tales, contra prædictos tales, in eorum faciem suam dictum confirmare audeant, saltem sine aliqua vacillatione, unde processus quandoque corruant, aut debilitentur. *Chartar. lib. 3. practic. cap. 1. num. 97.* Planè si potentior aut ditior jam inter reos relatus sit, & pauperes vel debiliores de tutela & præsidio securi reddantur; non semel ipsos utiliter commissos vidimus, & meminimus.

34. Etiam fratres se excusare posse, quo minus invicem committantur, ut alter alterum confundat, tradit *Corasius in arrest. Tholos annot. 172. ibi:* Senatus quo certius iudicium faceret, præcipuos ex eorum numero, qui testati fuerant, reum (Titium) esse.

Marti.

Martinum Guerram, coram adesse jubent; ipsas item Martini sorores cum maritis, simul etiam ipsius Titii avunculum, fratres & ceteros consanguineos; ut ambo isti simul eorum oculis objicerentur, atque alter tandem verè agnosceretur Martinus Guerra: Qui omnes, jussi adsunt, præter Titii fratres, qui nullis literis, minis aut imperio adigi unquam potuerunt, ut adversus fratrem testimonium dicerent: Additque Corasius in annot. Fuisse fratres istos nonnulla venia dignos, qui nollent in fratris perniciem testimonium ferre, per *L. Lege Julia. 4. de testib. can. si testes. 3. §. Lege Julia & §. pen. caus. 4. quest. 2.* Quæ quanquam ita se habeant, & illustrari possint ex traditis *Farinac. quest. 53. num. 139. & seqq.* restringenda tamen videntur ad fratrem, qui citra dubium talis est: Si quidem jam *L. Julia publ. jud. cautum est*, ne invito cuiquam denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus focerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinove natum; eosque, qui propiore gradu sunt, *dist. leg. 4. de testibus maxime si de causa capitali agatur, l. si magnum. 13. l. si sororem 14. C. qui accus. non poss.* Aliud tamen fortè fuerit, si confrontatio versetur circa fratrem dubium, per ipsam compositionem vultuum dignoscendum: Quomodo enim incerta causa ad excusationem proficiet? In casu autem, quo certus frater est, ex confrontatione, præsuppositis terminis habilibus, directò sequatur condemnatio: At componendus, in casu dubio, à Corasio proposito, hoc saltem dicere debeat; Fratrem suum esse, vel non esse. In causis tamen exceptis etiam hic *Dd. coactionem decernunt. V. Zoës. ad tit. de testibus cogendis. num. 6.*

35. Quid verò si quis confrontationi semel se ultro obtulerit, eo pacto fortè fiduciam conscientia ostentando; An postea animum mutare, pœnitere & detrectate confrontationem poterit? Agitata fuit quæstio ista non ita pridem in causa Fiscalis Seb. contra *A. H. Peinlich Angeklagtin.* Rea, cum ipsius oblatio jam ab accusatore acceptata & à judice terminus instituendæ confrontationi præfixus fuisset, non dubitavit hisce rationibus se excusare, imò per modum gravaminum conqueri; *Das sie auff einer leichtfertigen und E. D. dem Allmächtigen trewlosen meineidigen Hexen beschehene*

hene denuntiation am 30. hujus Morgens zu 10. Uhren in Person  
im Ambr. Haus A. zu erscheinen / gerichtlich citiret vnd verablades  
worden: Da doch (1) solche vnd dergleichen Confrontationen sine  
aliis iudiciis legitimis, & sole meridiano clarioribus, zu recht nichts  
behauptet werden können: cum sciamus & usu didicerimus, Con-  
frontationem rem esse fallacem, & periculosam, cui matrona pro-  
ba & honesta se committere non teneatur. Ernest. Cothmann.  
*Vol. 3. Consil. 29. num. 456. citans Johan. Coras. in arresto Tholos. & (2)*  
*certi juris sit, non teneri quoenquam se tradere in manus inimici.*  
*Paris de Puteo in term. tr. de syndicat. §. pen. num. 2. (3) Quod si ipso*  
*jure naturali, odium probatum aut præsumptum accusatoris vel*  
*testis denuntiationem enervat & elidit: quidni etiam præsumptum*  
*illud odium, quod sagæ cum Magistro Diabolo adversus quoslibet*  
*animo fixum gerere censentur; & à quo etiam apud Germanos*  
*nomen Inholden / accepisse videntur, enervabit? inquit Tanne-*  
*rus Tom. 2. Disp. 4. de Iustit. quest. 5. dub. 2. (4) quia confrontatio*  
*sola infamiam secum ducit. Peregrin. Vol. 2. Consil. 2. num. 156. &*  
*seqq. Bursat. Consil. 207. Clar. in pr. Crimin. §. ult. quest. 45. num. 14.*  
*Carpzov. pr. Crim. quest. 114. num. 78. & seq. ubi sequentem admo-*  
*nitionem subjungit: Videant ergò judices immoderati, quo-*  
*modo actionem injuriarum effugiant, qui ad solam inculpationem*  
*virum honestum cum inquisito confrontari faciunt; quod non ra-*  
*rò, sed tamen pessimè à iudicibus imperitis practicatur. (5) Tum*  
*quia odiosa est & species suggestionis. Fr. Bursat. d. Consil. 207.*  
*(6) Tum, quia Confrontatio præsupponit, Magistratum, incul-*  
*patas personas, utpote sagas & veneficas pro suspectis habere.*  
*Besold. in thes. pr. verb. confrontiren, ibique Speidel. in addit. Sollen*  
*derowegen keine vornehme vnbescholtene Mann oder Weibes Per-*  
*sonen cum infamibus ac convictis sagis, so lange die Warheit nicht*  
*anderer Gestalt an den Tag gebracht vnd darbey Vermuthung vor*  
*einen oder den andern Theil militiren, confrontiret werden. Cum*  
*homines frontis rectæ non confrontandi sint cum criminosis nul-*  
*la fronte præditis, per l. non debet 11. §. 1. de dol. mal. Mar. Salomon.*  
*in l. ut vim. num. 4. de just. & jur. Chartar. in prax. Crimin. l. 3. cap. 1.*  
*num. 97. Tranq. Ambrosin. de process. inform. lib. 3. cap. 9. num. 5.*

D

Dama

Damhud. in pr. Crimin. cap. 47. num. 1. & seqq. ne salutem illarum personarum honestarum, arbitrio infimorum & criminoforum committamus, quod fas non est, l. unius 18. §. servo. 5. de Quæst. prout Collegia Academ. Lips. & Rostoch. aliquando respondisse, testatur Ern. Cothman. 3. Consil. 29. num. 460. Und solches in dieser peinlichen Sachen vmb so viel destomehr/ weßn (1) der inculpatæ ertheilte saluus conductus nur ad terminum responsionis ad libellum Criminalem, mit außdrücklichen Worten restringiret, vnd damit per semel factam competitionem & subsequentem responsionem experire sey: Dannhero Sie exceptione loci non tuti ob meritum incarcerationis vel alterius offensionis sufficientissime gesichert sey / per cap. ex parte tua. 47. ubi Canonista, de appellat. l. nemo Carcerem. 2. C. de exact. tribut. cap. accedens 4. Ut lit. non contestata non procedatur ad test. recept. cap. pastoralis 2. S. Pisan. de re jud. Vant. de nullit. tit. ex defect. jurisd. ordin. num. 156. & in tit. ex defect. citat. num. 61. Zanger. in tr. de except. part. 2. cap. 4. & 5. (2) Daß die Inculpationes sociarum Criminis, aliis qualitatibus destituta, neque ad specialem inquisitionem, neque ad capturam, multò minus ad Torturam contra honestas personas sufficient sey. Uti respondet Facult. Jurid. Jenens. ap. Ph. Richterum lib. 2. decis. Jenens. 91. num. 12. per cap. veniens 10. Ext. de test. ibi. Ille, qui eodem erat infectus crimine contra eum testificari non posset: Nullique de se confesso, adversus alium in eodem crimine fit credendum. l. quoniam. 11. C. eodem P. N. D. Artic. 6. 25. & 21. Carpzov. 3. quæst. cap. 2. III. num. 15. & 121. num. 21. Sequuntur Tübingenses apud Besold. Consil. 159. & 183. Altorf. Consil. 33. & 45. Fichard. Consil. Germ. II. Gödelm. lib. 3. de Magis cap. 9. per tot. Ad quid ergò confrontatio, quæ est pars specialis inquisitionis? Destructo enim antecedente (nempe quia in hoc atrocissimo crimine veneficii ipsæ delationes s. nominationes contra viros bonos & honestas matronas, per se solæ nihil sinistrae suspicionis excitant, aut eorum bonam famam & existimationem denigrant, per multa adducta Ernest. Cothman. 1. Consil. 12. num. 229. Gödelman. d. cap. 9.) Consequenter confrontatio & omnia, quæ eam sequuntur, nullius sunt momenti & effectus. Adde (3) daß die P. N. D. nicht zulasset/ daß abique iudiciis certis



certis vel saltem verosimilibus de veneficio inquirere werde / die  
 auch der denuntiationis sagarum gar keine Meldung thut : quo ar-  
 gumento in ipsis terminis veneficii utitur Johan. Fichard. *Consil.*  
 108. *vers.* daß auch das blosser neidische besagen. Eumquē sequunt  
 Tubingenses *in consil. præalleg.* item Altorfin. *d. Conf. 33 in verb.*  
*Et præsertim in isto veneficii crimine non ponitur confessio socii inter*  
*indicia artic. 44.* Ern. Cothman. *1. Conf. 7. & 12.* Sed potius certa,  
 evidentia, urgentia & concludentia indicia præscribit, quæ contra  
 inquisitos de crimine veneficii suspiciones generent. *P. H. O. artic.*  
 37. & 44. inter quæ indicia, fabulosæ sagarum denuntiationes, stul-  
 ta & impossibilia interdum continentur, non connumerantur; sed  
 potius damnantur, *in can. Episcopi 12. vers. Illud etiam, ibi:* mulie-  
 res dæmonum illusionibus & phantasmatis seductæ, credunt &  
 profitentur, se nocturnis temporibus cum innumera multitudine  
 equitare super quasdam bestias. *Caus. 26. q. 5.* Unde B. August. scri-  
 pit: *si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia*  
*falso sæpe in quoquam crimine nominantur:* quod ejus dictum refer-  
 tur, *in can. multi 18. caus. 2. quest. 1.* Probationes itaque legitimæ à  
 jure approbatæ ubi haberi non possunt, periculosum est dubiis  
 confrontationibus, ac mendacibus testimoniis, quæ veritatem fa-  
 cile fallunt, & judex aliquando humano suo & naturali judicio ap-  
 prehendere nequit, inhære. *l. 1. §. D. Severus. 17.* ubi rescriptum  
 est, Confessiones pro exploratis facinoribus non haberi, si nulla  
 alia probatio religionem cognoscentis instruat. *de Question.* Vnd  
 solte ein Vermünffriger vnd circumspæctus Judex Criminalis viel  
 mehr dahin sehen / ehe vnd bevor Er einige Confrontation an die  
 Hand nimbt / vnd dadurch dem Inquisito gleichsam eine infamiam  
 auffbürdet / daß Er (1) des delicti (sive ut vulgo loqui solent, des  
 corporis delicti) commissi gewiß sey. *Cap. qualiter & quando 24. de*  
*accus. Farin. q. 1. num. 6. & q. 2. num. 30. & seqq.* etiam in veneficii  
 crimine, post Marfil. & alios Cothman. *d. Conf. 12. num. 21. & 22.*  
 Hartm. Pistor. *lib. 1. sing. observ. 33.* Diweil auch (2) die specialis In-  
 quisitio famam & existimationem personæ inquisitæ extremè lædi-  
 ret. *P. H. O. art. 218. verb.* an seinen Ehren Nachtheil erleidet. *Me-*  
*noch. lib. 1. de presunt. quest. 88. num. 9. & 10. Olasc. Conf. 64. num. 5.*



Farinac. q. 1. num. 12. Cohtman. 1. Conf. 7. num. 42. Als ist (3) nöthig  
 ut indicia præcedant art. 6. § 44. c. Inquisitionis. 21. cap. qualiter &  
 quando 24. de accus. can. Deus omnipotens. 20. caus. 2. q. 1. welche  
 indicia (4) juxta qualitatem & dignitatem personarum desto größe  
 ser sein müssen. P. H. D. art. 25. v. erstlich ob der Verdachte ein solche  
 art. 31. vers. zum vierdten / cap. cum oporteat. cap. qualiter & quando  
 Ext. de accus. & inquis. nam contra personas honestas graviora re-  
 quiruntur indicia, quam contra viles. Angel. in l. si autem bona fides.  
 ff. de R. V. Paris. de Puteo de Synd. vers. captura. quest. 1. num. 12. Bo-  
 nacoll. Comm. Opin. 5. 1 pag. 16. Farinac. d. q. 1. sub num. 49. & quidem  
 legitima, per l. iustissimos 3. C. de offic. Rect. d. l. milites C. de quest. Berta-  
 zoll. Vol. 1. Conf. crim. conf. 150. num. 15. Farin. d. q. 1. num. 45. Muß  
 wtrö pro ordine formalis inquisitionis vnter andern vornemblich  
 requireret, fama, ein böser Leumuth art. 6. § 44. P. H. D. late Boss.  
 in tr. Crimin. tit. de inquisit. num. 21. & seqq. Damhud. in pr. Crim. c. 8.  
 num. 7. vers. 3. Haig. p. 1. q. 39. num. 31. Gödelm. de Mag. & venef. lib.  
 3. cap. 3. num. 8. & seqq. Quæ præcedere debet inquisitionem, aliàs  
 inquisitio non procedit, text. in d. cap. qualiter & quando. l. 2. C. de  
 accus. & habetur in cap. Inquisitionis 21. eod. tit. Vnd muß seiner  
 Ursprung haben nicht à malevolis, & maleficis hominibus, oder  
 andern / vnglaublichen / verdächtigen ; sondern auffrichtigen glaub-  
 haften Personen. P. H. D. art. 20. ibi : Daß solcher böser Leumuth  
 nicht von Feinden oder leichtfertigen / sondern von vnpartheischen  
 redlichen Leuten komme / textus itidem apert. in cap. qualiter & quan-  
 do, ibi : non quidem à malevolis, sed à providis & honestis, Ext. de  
 Accus. Boss. in tit. de inquis. num. 38. in pr. Gaudin. de Maleficis,  
 verb. à quo. num. 8. Damhud. in pr. Crim. cap. 8. num. 9. Farinac. tit. 1.  
 de inquis. quest. 9. num. 6. Ceph. conf. 104. num. 18. & Conf. 266. n. 31.  
 Jam verò in aprico est, daß die Sagæ personæ infames sein : hingegen  
 testis deponens pro delicto, debet esse omni exceptione major,  
 contra quem nulla possit opponi exceptio art. 30. § 23. P. H. D.  
 Blanc. in l. fin. num. 9. ff. de quest. num. 323. Johan. Baptist. Plot. in l. si  
 quando num. 8. 29. C. Unde vi. Cravert. conf. 6. n. 12. vol. 1. Darzu diese  
 Heren unica & singulares sein / quæ nullā obtinent vim probandi,  
 in dem ein jede gnugsame Anzeigung / muß mit zweyen auffrichtigen  
 vnter

vnderwerfflichen Zeugen bewiesen werden. P. H. D. art. 23. & art. 30. in verb. vnd es soll zum allerwenigsten. Bertazoll. *caus. Crim.* 341. num. 2. lib. 2. Grassus *Conf.* 57. num. 11. Vol. 2. Facultas Juridica Coloniens. in subscript. *Conf.* 29. Cohtman. Vol. 3. num. 126. Roland à Valle *Conf.* 51. num. 23. Vol. 1. Vnd ob gleich vieler Sagarum Beflagung gegen eine Person / quæ ante inquisitionem & Sagarum denuntiationes nunquam de Crimine veneficii ab hominibus fide dignis fuit diffamata, concurreren möchten / so ist doch denselben nullas fides zu attribuiren. Johann. Fichard. d. *Conf.* 108. Vol. 2. Cohtman. *Resp.* 12. num. 267. & seqq. Dn. Tübing. *Conf.* 129. inter *conf.* *Besoldis* n. 169. Neq; etiam unius sagæ denuntiatio per alterius sagæ denuntiationem habilitatur, quia quod nihil est, supplementum non recipit. In terminis Dn. Tübing. *conf.* 11. num. 17. & 18. Sylvan. *conf.* 91. num. 23. Bertazoll. *conf. crim.* 41. num. 20 Vol. 1. Cum primis si non certam & verosimilem denuntiationis & scientiæ causam; (sine qua aliàs in Criminalibus testi nihil creditur, ex l. 13. & 14. in fin. ff. de interrogat. act. l. ob carmen §. 1. ff. de testib. Cap. quia verosimile, ibique Abb. & Felin. ext. de præsumpt.) sed fallacem, erroneam, & dubitativâ reddât, ut refertur in cap. *Episcopi.* 2. c. 26. q. 5. Gödelm. in tr. de sagis lib. 2. c. 4. Alciat. 8. parerg. 22. Duaren. in tit. ad L. Corn. de Sic. cap. 2. Gillhaus. in sua arb. *Jud. Crim.* cap. 2. tit. 17. num. 14. Otto Meland. in resol. de Sag. q. 3. Davon in der Citation ad Confrontandum ne verbum quidem wird angezogen / wie sonst von rechtswegen / damit die defension darauff desto gründlicher hätte können eingerichtet werden / geschehen sollen; derohalben auff sothane blasse nominationes vnd Besagung solcher Teuffelschen Schand- Betteln / so de jure & facto Infames sein / ad honestos viros vel matronas deferendas, & ulterius per Confrontationes denigrandas, nicht zu gehen / arg. l. repeti 16. §. unic. de quest. l. si filium 37. C. de liber. caus. l. ult. C. de accusat. l. sicuti. 4. C. de quest. can. si quis cum à tuo. cum seqq. caus. 2. quest. 1. can. constituimus. 9. can. similiter. 10. caus. 3. quest. 5. Quantumvis sit crimen exceptum. Th. Gramm. *conf.* 21. num. 14. Rol. à Valle 1. *Conf.* 16. num. 17. & *conf.* 73. num. 21. & 25. Sigism. Wittum. *conf. crim.* 3. num. 19. Reusner. l. 2. decis. 25. num. 40. sed copia indiciorum & deposit. denuntiatio danda. Argent. 2. *conf.*

33. num. 54. & conf. 40. num. 6. & cum seqq. Fichard. Conf. 105. Etiam si inquisitio sit summaria. Geil. de P. P. cap. 2. num. 6. Heig. 2. q. 53. num. 15. Et licet complices illi, seu facinorosi numero centum sint. Th. Gram. conf. 43. num. 25. & conf. 44. num. 4. itemque conf. 66. n. 5. Cacheran. decis. 79. num. 38. Et hæc & talia, ille pro illa.

36. Has verò rationes, licet Fiscalis nullas dixisset, ibi: Auß der gangen Schrifft befinde sich nichts anders / als daß die P. sich der Confrontation außzlichen Ursachen verwegere / endlich aber dahin erbiete; wolte man die Confrontation intimiren, sie der Denuntiantin Außsage durch einen Verwandten vnd Priester vornehmen lassen wolte: Nun sehe Er / Fiscalis, nicht / was solches nütze; sintemahl à parte Fiscalis Procuratoris, allein dieses gesucht werde / daß denuntiata künfftig nicht sagen könnte / es sey ihr nicht notificiret, und die Confrontation dahin angesehen; ut inquisitus ex visu, trepidatione, & gestibus convincatur, & ad confitendum crimen inducatur, aut facilius Torturæ queat subijci, Clar. § ult. Q. 45. n. 14. Welcher finis alhier cessiret, vnd der Priester nicht außmachen wird. Decisum tamen fuit den 31. Octob. 1654. Soviel das Decretum Confrontationis betriefft / wird solches / nach dem Peinlich Außgeklagte in der bey den responsionibus ad inquisitionalem libellum, gethanes suchen Confrontationis, gerewet / auffgehoben. Quæ ratio an sufficiat valdè ambigimus. Licet enim ab initio non temerè honestæ personæ ad Confrontationem adigendæ sint; si tamen se ultro offerant ad confrontandum, & desuper confrontatio decernatur, & fama aliæque indicia præsto sint; veremur ne pœnitentiæ locus sit (1) quia in iudicio quasi contrahitur l. 3. §. 11. de pecul. Adeoque veluti in aliis contractibus pœnitere non licet l. 5. C. de O. & A. (2) nimis indignum est, quod sua quisque voce dilucidè protestatus sit, id in eundem casum eum infirmare l. generaliter 13. C. de non num. pec. (3) quia allegationibus istis & excusationibus, quibus rea antea uti poterat, renuntiasse videtur l. 11. C. de reb. cred. l. nihil interest. 12. de inoff. testam. (4) Nec res videtur integra, cum acceptatio Fiscalis & Decretum iudicis intervenerit l. 22. §. ult. mand. l. de atate 11. §. ult. ibi licet responsi pœnitere, si nulla captio. de Interrog. injur. faciend. (5) suspecta se magis reddit denuntiata per revocationem:

nem: ut sanè variantes & odio & suspicione se onerant; *arg. cap. mutare 33. de R. J. in sexto. Berlich. 1. Conclus. 22. n. 8. Petrus Heig. 2. q. 4. num. 1. (6) cum ex adverso nullam videatur injuriam accipere, qui semel voluit. l. 9. §. 1. ibique gloss. de aqu. & aq. pluvi. arcend.*

37. An vero persona denunciata etiam per aliam comparere potest? Ita quidem postulatum fuit in causa superius indicata, cum Denunciata, ut modò intelleximus, allegaret; quod maritus & uxor, sicut pater & filius, sint una caro *l. 1. de R. N. l. adversus 4. ibi: Socia divina atque humana domus C. de Crimin. expil. hered. & publicè utile sit abentes à quibuscunq̄ defendi, l. servum quoque 33. §. 2. de Procurat. & leg. 3. C. de accusat. maximè uxorem à marito in Criminalibus, arg. eorum, quæ integro consil. tract. Ernestus. Cothman. vol. 3. caus. 15. Addita comminatione: Solte Confrontatio ferzner urgiret werden; so wolte man ex capite nullitatis ad Cameram appelliren. Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. Nach dem auch. Mynsing. 4. Observ. 41. & 42. Bender. de revis. conclus. 33. num. 13. Friderus lib. 1. de process. cap. 9. num. 4. E. Cothm. 3. respons. 29. num. 4. 37. & 439. Quæ querela nullitatis intentata, non solùm nullitatem processus inducit, sed etiam totam causam & principale negocium ad judicem appellationis devolvit *Gail. 1. Observ. 127. num. 1. Wurmler. tit. 24. Observ. 33. num. 2. & seqq. Ut is super meritis causæ ex integro cognoscat, & processum vel causam ex probationibus vel confirmare vel reformare possit, Mynsing. 1. Observ. 27. & cent. 3. observ. 72. P. Frider. de contin. caus. cap. 2. num. 20. Auth. Præjud. Cameral. in verb. Bnholden. Ad quæ & similia pavorem fortè judici incutientia, filius iste quidem pro matre admissus fuit, uti apparet ex actis 22. Febr. 1654. ibi: Und wie bey dieser Aussage gewesen der Beklagten P. Sohn H. A. hat Er begehret. Man möchte fragen ob inquisition seine Mutter kenne? Quo facto, respondit: Ja. Interrogata amplius, woher? Resp. Sie habe offte Holtz nach B. gebracht / und die P. habe Ihr selbst abgekauft? Sed meritò rejecta fuit supra à Jure Consultis Gallis talis substitutio, quippe cum per illam judex finem confrontationis nunquam assequatur, imò ipsi depositioni & inquisitioni nocitura sit**

talis

talis substituti admissio ; testibus presentia hominum cono-  
torum perterritis. Qua de causa prudentiores iudices etiam co-  
gnatos ab actu confrontationis jubent abesse.

38. De his quoque qui Jurisdictionem perpetuam mori-  
bus nostris in prædiis suis obtinuerunt (Juri enim Romano nulla  
fuisse privata territoria cognita, nec ullas privatorum Jurisdic-  
tiones ; contra Molinæum rectè asserit Heraldus. *1. rerum quoti-  
dianarum cap. 7.*) Quæsitum, scimus, si verbi gratia veneficus  
unius territorii sive districtus denuntiasset complicem alterius  
territorii, districtus, aut jurisdictionis, an Magistratus loci se  
suspectum reddat, si postulatum ad confrontandum subditum  
non exhibeat? Equidem cum omnis Magistratus, cui Jurisdic-  
tionis exercitium commissum est, teneatur justitiam pro virili pro-  
movere, & efficere, ne crimina maneant occulta, & impunita: non  
parva semetipsum suspicione gravat, qui in talibus criminibus ho-  
minem in ipsum Deum injurium non exhibet, sed exhibitionem  
sine magna causa detrectat: maximè si per mutui compassus literas  
debitè requiratur, & Jurisdictioni ipsius per reversales idoneè ca-  
veatur. Licet enim regulariter Magistratui alicui, extra suum terri-  
torium jus dicenti, impunè non pareatur, *l. ult. de jurisd.* Licet etiam  
hodie remissionibus vix utamur, maximè cum non uni jam Princi-  
pi in Imperio Romano omnes ditiones pareant, nec par in parem  
ejusmodi remissionis habeat imperium *l. 4. de recept. arbitr. Wes-  
senb. de accus. num. 8. & in tit. de requir. reis num. 5. Harprecht. ad §. 5.  
Inst. de Obl. qua ex delict. nasc. num. 83. Carpzov. part. 3. Q. crim.  
210. num. 25. & seqq.* Si tamen Hi, qui diversas Jurisdictiones cum  
mero Imperio habent, sine causa remissionem eam invicem  
facere detrectent, non planè sunt excusabiles. Sic enim olim et-  
iam Præsides Provinciarum, in quibus delictum admissum esset ad  
collegas suos, Præsides aliarum Provinciarum, ubi sceleris Au-  
thores agere dicebantur, scribere solebant, & desiderate, ut cum  
persequutoribus ad se remitterentur, *l. solent 7. de custod. & exhib.  
reor. Forner. lib. 5. rer. quotid. cap. 12.*

39. Quid sub initium hujus sæculi, inter Principes Imperii  
in simili negotio ageretur fuerit, rei illustrandæ gratia nō pigrabi-  
mur re-

mut referre: Et quidem verbis Thuani *ex lib. 130 Hist. in Ao. 1603. pag. 1010. ibi*: Christianus II. Septemvir venatum profectus, mense Aprili ad pagum suæ Jurisdictionis, nomine Gravenam in finibus Anhaltinæ ditionis, cum saltum ingrederetur, sclopetum à tergo displosum sensit, missisque qui vestigarent, cum neminem eodie reperissent, postridie ex conjecturis & indiciis Bobæ (quod municipium ad Anhaltinos Principes pertinet) ab Septemviri satellito, quidam, nomine Michael Henricus Magdeburgensis, homo atrocissimi infamis, sistitur, & mandatu Laurentii Bidermanni, Anhaltinorum Cancellarii, à Davide Bergensi, Dessavia Juridico Præfecto, reposcenti Septemviro deditus: qui statim interrogatus, sclopetum à se displosum confessus est, ut focariæ in proximo, adventus sui signum daret. Postea cum concios quosdam maleficos nominasset, res totos quinque menses protelata, & sparsa interim fama fuit, percussores ab Henrico Donavio Legionum Vicario, & memorato Bidermanno, Cancellario, primariis Anhaltinorum ministris ad sedem septemviri, pecunia data, subornatos, ut injuriam à septemviro Principibus illatam, de qua nunquam questi sunt, quam ipse Septemvir nescire fatebatur, capta occasione ulcisceretur. Id cum ad exstimationem suam summopore pertinere putaret Johannes Georgius, illustrissimæ familiæ Princeps: Accusatos continuo sistit, & datis ad Septemvirum literis petit, ut acta Confessionum ad se mittat: Missi à Septemviro Oratores, qui, quid Rei confessi essent, exponerent; vicissimque peterent, ut ille (Princeps Anhaltinus) à reis nominatos ad se mitteret, ut cum reis committerentur (*daß Sie mit selbigen möchten confrontiret werden*) cautione interposita, ut liberè inde domum redire possent. Id cum illi (denuntiati) facere negarent, & se fori præscriptione tuerentur, & legibus Romanis, ut Imperii, actores rei forum sequi teneri, dicerent: Idq; ad Jurisdictionem suam atque adeò merum imperium, quod in sua ditione habent, spectare, etiam Anhaltini contenderent; Ad Cæsarem ipsum res à Saxone delata, qui in gratiam Saxonis, Anhaltinis de jure suo aliquid remittere, Author fuerat. Dein & Georgius Fridericus, Brandenburgicus Septemvir partes suas interposuit, & mediam viam institit,

E ut nem-

ut nempe Saxo confessionum acta extra territorium mitteret, & Anhaltini gratificandi causa paterentur, ut accusati in Saxonica ditione cum reis committerentur, accepta cautione de remittendis accusatis. Sed neque id locum habere potuit, eoque res usque protelata, ut cum vitæ reorum, ob intemperantiam ægotantium, Saxo diffideret, sententiam in eos latam exequendam decerneret: Quod ubi significarum, die etiam dicta, accusati, qui viderent innocentie suæ afferendæ præceptam per mortem reorum præcipitatum, commoditatem; per publicum actuarium Dresenâ missum, protestantur. Nihilominus executio sequuta: Et sanè quotquot æquissimi erant, sic existimabant; Anhaltinos probitatis perspectæ Principes, omni suspitione vacare, præsertim cum nulla Saxoni cum illis simultatum, vel ipso fatente Saxone, causa intercederet. In Donavium autem & Bidermannum, vitâ antea actâ inculpato & dignitate præditos, quæ illis apud homines flagitiis infames, odium conciliare, aut invidiam suscitare poterat, tam fœdi criminis, nulla intercedente causa, suspitionem vix cadere potuisse: sed, facinorosos homines, sive ab aliis incitato, sive nominatis illis, quos dixi, iudicium difficile futurum, ac diu protelatum iri sperantes, (quod miseri faciunt, dum vitæ propriæ, vel per alienam calumniam producendæ student) perrinaciam in suis confessionibus ad ultimum servasse. Itaque supplicio illorum mitigata Saxonis ira, & fama eorundem confessionibus disseminata, eodem momento conquievit; Cùm ab illis nominati, in custodia interim detenti, qui executionem suspendi petierant; etiam post executionem apud suos iudices, juxta Imperii leges, se copiam sui facere paratos, ostenderent. *Hactenus Thuanus.*

Problema de  
Confrontatio-  
ne mariti No-  
bilis cum An-  
cilla de stupro  
sibi illato, de-  
poneate.

40. Sub finem hujus partis prioris, examinabimus unum vel alterum problema ad dilucidationem theses 32. & 33. pertinens vel accommodum: quanquam ea etiam ad contraria poterant referri: Prius sic habet: Ancilla quædam imprægnata cum de parratore & Concubino interrogata fuisset, nominavit in initio quendam N. ministrum à pedibus Titii: Quem Pastori quoque qui infantem baptizaverat, eodem modo, nuncupatione expressa patefecerat: Postea severius à Magistratu inquisita, confessa est, se à



se à Nobili suo patrono, per absentiam Uxoris compressam fuisse, designatis omnibus temporis & loci circumstantiis: addiditque: Nobilem ipsi pecuniam obtulisse, & ampliozem promississe, si illum admitteret, quem postea deferret, ac substitueret: quod ipsa etiam semel fecerit, postquam scilicet jam à Nobili partum vitalem concepisset: Deinceps vero à consuetudine famuli planè abstinerit: *Nobilis*, mulierem ob injuriam & diffamationem comprehendi curavit & criminali accusatione instituta, ob hanc calumniam fustibus subijci petiit: per plures testes ostendens, ancillam à multis annis luxuriæ & nequitia deditam fuisse: Ita ut ipsius depositio nullam fidem mereatur, maximè contra Virum honestum & Nobilem; Et quia omni Testimonio destituatur; & sæpius in mendacio deprehensa esset, nec tempora, patrati per absentiam Uxoris Domicellæ, sceleris, usque congruerent. Cum corrupta ista mulier, ex adverso regeret: Rem noctu & clam factam, Nobili in absentia conjugis, ex suo cœnaculo per gradus emergente, ideoque nullo se teste probare facinus posse: Interim rem se ita habere constanter adseveraret: Quæsitum fuit: Licet deficiente probatione criminis, Mulier pœnam calumniæ subitura esset; Annon sceleris investigandi causa, Magistratus confrontationem posset suscipere? Neque dubitabatur, quin ex ea commissione plurimum lucis veritati adfulsurum esset. *Placuit tamen*; Quia Magistratui per Principem injuncta fuerat inquisitio, Explorandum esse, si Nobilis conscientia fiduciam confrontationem ultro admitteret; Eo verò exceptionem ordinis prætendente, aut dignitatis prætextu se excusante: Mulierem vilem & famosam sicuti subijciendam, atque sic ad veritatis professionem adigendam esse: Maximè cum varia depositione, sive variatione sua, id promeruisset, ac de infante in lecto oppresso, non parùm suspecta redderetur. Quod & Epliarum contigisse, ap. *Tacitum loc. supr. th. 12. citato*, legimus.

41. Porro casu aliquo supposito, quo nobilis confrontationem subire teneatur; Quæritur, an eam per Procuratorem possit expedire? Equidem, personæ Nobiles & Illustres tam in civilibus, quàm in Criminalibus causis per Procuratorem comparere possunt *l. 25. junct. Auth. hoc jus. C. de Procurat. l. ult. C. de injur.*



*Tiraquell. de Nobilitate cap. 20. n. 141. Cassan. catal. gl. m. p. 7. confid. 3.*  
 Ita ut nec de Calumnia personaliter jurare cogantur. *Ordinat. Cam.*  
*part. 2. cap. 10. Wefenb. in parat. C. de jurej. num. 6. f. Græven.*  
*Conclus. 90. num. 1. & seqq.* Sed quia ita finem suum Confronta-  
 tio non contingeret, meritò privilegium Nobilitatis hoc casu, quo  
 jure decreta fuisset Confrontatio, cessaret. Quoties enim talis  
 præsentia personæ requiritur, quæ ejus conspectum & vocem con-  
 cernat; comparitio Procuratoris non potest pro æquipollente ha-  
 beri: Cum Abbate & aliis *Farinac. 1. Consil. 85. Honthen. lib. 2. de*  
*arte Notariat. cap. 14. num. 15. conf. supr. th. 37.* Forlan etiam diligen-  
 tiores istorum postulatorum, quæ è Josia Nolden *de statu Nobili-*  
*um, cap. 10. §. 83.* retulimus, excussores, illud quoque in dubium  
 vocarent: Anequæ in *Ordin. Camerae part. 2. tit. 10. §. 5.* Electo-  
 ribus & Principibus permittuntur; Etiam Nobilibus in specie di-  
 ctis, & regali dignitate destitutis, legitime attribuantur. Certè  
*Wefenb. in parat. C. de jurej. propt. calum. d. n. 6. f. Ut & Græven.*  
*1. Conclus. Geilian. 90. n. 1.* itidem de principibus tantum loquuntur.  
 Ast quanto intervallo hi à communi Nobilitate distent, etiam Feu-  
 distæ docent. 2 *feud. 10.* Quis dicatur Dux vid. *Gothofr. Anthon.*  
*disput. feud. 1. thes. 6. lit. B. & seqq.* Argentæum, en l' *avis sur les par-*  
*tages des nobles. quest. 14. num. 15.* Cætera seqq. Disputationibus re-  
 servantur.

---

### Erratum.

*Per festinationem operarum admissum est, pag. 4. thes. 3. vers. Ut-*  
*cung. Legendum enim: eo: deleto vocabulo vocis, quod omninò ab-*  
*undat & otiosum est: cum pronomen (illud) ad nomen verbi respiciat.*  
*The. 4. legitur, usq<sub>3</sub>, pro, usq<sub>3</sub>. Et sub f. les pro le: Cætera benignitas*  
*Lectoris corriget.*

FINIS DISPUT. I.



C O R O L L A R. I.

**P**ropterea Neptit cum Hottomanno Vinnius, quando in §. Eadem  
 4. J. Quib. ex caus. manum. non licet, pro vindicta legendum  
 censet, dicta: Pertinet enim vocabulum hoc ad modum manumissionis, non ad dictionem cause, ut ex resolutione textus patet. V. Frantz k. n. 4. Innuitur enim minorem non posse servos quovis modo liberare & manumittere; sed solennit tantum modo (1) vindicta. (2) apud Consilium (3) iusta manumissionis causa approbata. Conf. l. pen. §. non tamen. De Castrens. pecul. ibi: Vindictam imponere, l. 14. §. un. de Manumission. ibi Imp. non vindictam imponit. l. discretis. 10. ibi; nec libertatem s. vindicta s. alio modo imponere. C. Qui testam. fac. poss. Lubrica enim hac etas facile à servis induci & persuaderi ad liberandum posset: Ex qua facilitate manumissionis damnum & exitium rebus minoris posset contingere, si quovis modo manumissio admitteretur.

II. §. 3. Instit. de Emt. Vendit. sub finem. veris sanè enim; Hanc Hottomanno, diligenti sententiarum & axiomatum juris investigatori, fovere iudicatur sententiam; Quod si venditor custodiam rei vendite in se susceperit ad ipsius (venditoris) periculum rei interitus casualis pertineat: Additq; pro firmanda hac sententia l. 35. §. 4. De Contrah. emt. ubi sanè ipse Cujac. Simile axioma ex textu eruere & proponere videtur. Consentit Wesenb. in Comment. ad d. §. 3. verb. pertinent. In consensum trahens d. l. 35. §. 4. Atqui (1) prestatio custodiae & casus fortuiti toto genere differunt. Adeoq; (2) qui custodiam pollicetur nequaquam casum fortuitum & quodvis periculum in se recipit: Uti fatetur Vinnius ad hunc §. n. 11. Unde (3) Iureconsulti in hac ipsa questione oppositionem istam diligenter inculcant l. 1. pr. juncto §. 1. De peric. & commod. rei vendit. Imo (4) securum jubent esse etiam eum in specie venditorem, qui custodiam promisit, si casu quid factum sit. l. 2. §. un. d. tit. Nam (5) & hoc casus cum rei mobilis custodia promissa est, securus esse debet venditor, si talem custodiã adhibuerit, qualem bonus pater suis rebus adhibet. d. l. 35. §. 4. Quid dicemus? Id quod & analysis & verba textus desiderant: propositionem eam non pertinere ad omnes res mobiles; vel moventes, sed ad casum venditi hominis; cuius sanè qui  
 custo-



custodiam in se suscipit, hoc agere videtur & polliceri: praestitutum se  
custodiã suã, ne homo venditus aufugiat vel surripiatur. Quod si postea  
fiat; casus iste ad venditorem spectat. Miror autem, ad dubiũ hoc Hor-  
tensium, Franzkium, Rittersh. & alios animum non advertisse.

III. Absurdum videtur multis, quod in l. 15. §. 6. Qui satisd.  
cogantur, statuitur: Reum qui in prima instantia jussus est fundum  
vindictanti restituere, per ejusdem fundi possessionem relevari ab onere  
satisdandi in secunda instantia; Cum huic definitioni & textus & ratio  
juris obloquatur. Textus in l. 8. §. 1. d. r. ubi & mulier, cõlis de suo fundo  
dotali marito moveretur, fidejussisse legitur. Ratio talis objicitur à Dn.  
Carpz. 1. Constit. 5. definit. 15. Sicut nemo possit simul esse principalis  
& fidejussor l. 71. de fidejussor. Ita nec una eademq; res possit esse in ob-  
ligatione s. causa principali & accessoria. Quod Censores Juris nostri  
B. Autumn, Grafwinck. Et Alios, miramur non observasse. Resp. (1)  
Bartolus & alii totam l. 15. d. r. accipiunt de cautione judicio sisti; quam  
ideò non praestant qualescunque immobilium Possessores, quia propter  
eam cessat fugae suspicio & lex praesumit eos judicio staturos: Pacius  
1. Enantioph. 68 pag 62. Bachov. in Comment. add. tit. Qui satisd.  
cog. pag. 503. Quam explicationem Baro in explic. comment. ad d. r.  
pag. 224. firmat ex ratione §. 5. ubi agitur de satisfactione tutorum:  
Tutores autem non satisfdant judicatum solvi. (2) ad oppositam l. 8. §. 1.  
Resp. Pacius d. l. pag. 61. Non quæri ibi de satisfactionis modo, sed de  
satisfactionis ultrò interposita valore: Quam solutionem suo more mu-  
tuo sumpsit à gl. 2. d. l. 8. §. 1. Quod nec Locamerus disp. 5. Enantioph.  
thes. 10. improbat. Nisi dicere malimus: speciale fuisse in fundo do-  
tali, qui cum manifesta & magna prerogativa, mulieri affectus sit.  
(3) Sanè in ratione opposita evidens est paralogismus disparatorum:  
Siquidè in opposita specie agitur de una eademq; persona & principali-  
ter & accessorie obliganda: In nostro autem casu & persona & res in con-  
siderationem venit. Ubi sanè res immobilis personam liberat à  
presenti satisfdandi necessitate: non autem ab  
obligatione principali.

00 A 6447

ULB Halle


3

002 937 336



R VS 17







DE CONFRONTATIONE:  
DIFFICILI ET INEXPLORATO  
JUDICIORUM ARTICULO,  
*DISPUTATIO PRIMA,*

*QUAM*  
FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO  
*SVB PRÆSIDIO*

*VIRI*  
*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi*  
*& Consultissimi*


DN. JOH. OTTONIS  
TABORIS, JCTI

SERENISSIMI PRINCIPIS HASSO. DARM.  
STADINI Consilarii, Inclytæ Universitatis Ludovicianæ  
Cancellarii & Professoris Primarii, DN. Patroni,  
Promotoris ac Præceptoris æterno observantiæ  
cultu demerendi,

*Publicè defendendam suscepit*

NICOLAUS CÜLE, STADENSIS.

*Ad Diem Septemb. Loco horisq; solitis.*



GIESSÆ HASSORVM,

*Typis*, JOSEPHI DIETERICI HAMPELI,  
Acad. Typographi Ordinarii, 1660.